


1+2 / 83

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXIII



RUMOR VARIUS



TOMUS 6

FASC. 39



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annuum)

In Helvetia	Fr.	14.--
In Germania	DM	18.--
In Austria	öS	130.--
In ceteris		
Europae terris	Fr.	20.--
In terris trans		
maria sitis	U\$	18.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz	Fr.	14.--
Deutschland	DM	18.--
Oesterreich	öS	130.--
übriges Europa	Fr.	20.--
Uebersee	U\$	18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes,

Sit vobis novus annus MCMLXXXIII faustus, felix fortunatus-  
que!

Hoc fasciculo IXL, quem manibus tenetis, quasi sollemnem  
diem natalem quintum Rumoris Varii celebrare possumus, nam  
primus Rumor Varius die XXIIIX<sup>o</sup> mensis Februarii anno  
MCMLXXVIII editus est.

Mirum est videre quantum noster libellus his quinque annis  
semper melior factus sit. Primus fasciculus enim, de quo sup-  
ra dixi, e duobus foliis tantum constabat salutationem edito-  
rum ad legentes paucissimorum verborum continentibus velut  
aenigma discipulis scholam AKADem (quod est gymnasium, cuius  
rectores singulas editiones libelli semper stipendiis pensis  
auxiliantur) frequentantibus facile solvendum. Si illum pri-  
mum cum praesenti Rumore Vario comparaveritis, exclamabitis  
"Quae mutatio speciei! Quae variatio semper aucta ratarum  
partium libellum adhuc exornantium!" Profecto aperte dici po-  
test singulos fasciculos quinque praeteritis annis ad animos  
legentium delectandos semper aptiores factos esse! Quod est  
meritum non modo collegarum collegio redactorum insidentibus,  
sed etiam multorum Rumoris Varii amicorum, qui partim in Hel-  
vetia, partim in terris maxime remotis orbis terrarum habitan-  
tes semper nova argumenta publicanda miserunt, mittunt, mit-  
tent. Cum ea re maxime delecter, tamen doleo, quod, ut iam  
in prioribus praefationibus saepius deplorabam, maxima pars  
discipulorum gymnasia ubivis terrarum frequentantium, quos  
Rumor Varius in numero amicorum ducit, interdum aliquam ratam  
partem propria manu scriptam publicandam nobis mittere non  
audent. Cuius rei quae sit causa non intellego, eo minus quod  
aliquam ratam partem brevem Latine scribere facile est, etiam  
iis, quorum peritia Latine loquendi scribendique licet sit  
parva vel raro usu linguae Latinae diminuta. Ne timeant disci-

puli, qui nobis argumenta Latine composita mittere velint, ne errores in suis ratis partibus fortasse inventi et Rumori Vario impressi sibi dedecori sint! Nam a redactore emendati erunt prius quam in nostro libello publicabuntur! Nomen autem cuiusque emittentis "ad maiorem gloriam auctoris" libenter sub ultima linea ratae partis additum publicabimus.

Ergo inter omnes legentes imprimis discipulos linguam Latinam discentes iterum oro, ut nobis et hoc novo anno epistulas et fabulas Latine compositas divulgandas mittant! Nam libellus noster vivat non modo ex argumentis, quae a collegio redactorum proveniunt, sed floreat et crescat magna ex parte etiam ex ratis partibus discipulorum Latinitatem colentium!

Valete!



Udalricus Aeschlimann

## Facete lepideque dicta

### Apud psychiatrum

Medicus psychiater: "Heus, nunc Tecum experimentum simplex conabor! Quid eveniret, si aurem sinistram Tibi desecarem?"

Aegrotus: "Amplius audire non possem!"

Medicus: "Et quid eveniret accideretque, si tum etiam aurem dextram Tibi desecarem?"

Aegrotus: "Nihil amplius videre possem!"

Medicus: "Quare nihil videre?"

Aegrotus: "Quoniam petasus meus tum delaberetur (et oculos tegeter)!"

\* \* \* \* \*

## Temporum transvectio

Cum die XXIIII<sup>o</sup> mensis Sextilis seu Augusti - die festo Sancti Bartholomaei Apostoli - anno LXXIX<sup>o</sup> post Christum natum, ab urbe autem condita ante diem IX<sup>m</sup> Kalendas Septembres - pridie Opiconsivia, postridie Volcanalia - anno DCCCXXXII<sup>o</sup> 1) eruptio Vesuvii Montis ignium Pompeios, Herculaneum Stabiasque obruisset et extinxisset, tum ipsum fatum calamitosum etiam fabulam in Amphitheatro Pompeiano locum habentem et datam interruperat. Anno autem ab incarnatione Domini Salvatoris Redemptorisque MDCCCLXII<sup>o</sup>, ab urbe condita autem anno MMDCXV<sup>o</sup>, - excavationibus urbium obrutarum deletarumque feliciter iam peractis - ipso loco spectacula nova denuo exorsa sunt Antonio Langino principe gregis histrionum Pompeianorum duce et auctore. Vir ille clarissimus autem invitationem ad spectacula celebranda civibus curiosis oppidi promulgavit verbis amplissimis his:

"Theatrum oppidanum Pompeianum die Solis seu dominico proximo aperietur cum dramate musico "Filia regimenti" (Italice: La figlia del reggimento) compositoris illustrissimi Dominici Caietani Mariae Doniceti (vulgo Italice: Domenico Gaetano Maria Donizetti, 1797-1848), posteaquam olim collega meo Quincto Martio rectore et duce et auctore tragoedia "Troades" (cui titulus) poetae spectatissimi Lucii Annaei Senecae (4 a. - 65 p. Ch. n.), viri aetatis suae summi et optumi, acta erat. Ex quo (tempore) spectacula per MDCCC (mille octingentos) circiter annos intermissa erant. Nunc autem spectatores egregios oro obsecroque, ut benevolentiam decessori meo olim tam evidenter 2) tributam in posterum mihimetipsi concedant. Indicem enim spectaculorum seu ludorum scaenicorum celebrandorum indice ludorum decessoris mei Quincti Martii summo ingenio praediti dignum me ficturum esse sollemniter polliceor promittoque!"

- 1) Confer descriptionem eruptionis Vesuvii Montis die XXIV<sup>o</sup> mensis Augusti anno LXXIX<sup>o</sup> habitae Gaii Plinii Caecilii Secundi minoris, 61-113, filii Lucii Caecilii Secundi atque Pliniae (sororis Gaii Plinii Secundi maioris, 23-79) in Epistularum libris X, libro VI<sup>o</sup>, 16 ad Cornelium Tacitum missam.
- 2) index spectaculorum seu ludorum scaenicorum = Spielplan

AMICUS

### Sermocinatio inter amicos

- Alter: "Scio enim Tete ter iam viduum esse factum. Quomodo omnino id accidere potuit?"
- Alter: "Uxor prima veneno boletorum periit!"
- Alter: "Et uxor secunda?"
- Alter: "Eodem modo veneno boletorum periit!"
- Alter: "Magnopere insolite! Atque tertia, ea fortasse etiam veneno boletorum periit?"
- Alter: "Minime gentium, nullo pacto, neququam, periit ea cranii fractura!"
- Alter: "Quare solum ea cranii fractura et non veneno boletorum periit?"
- Alter: "Noluit edere eos boletos!"

\* \* \* \* \*

### Interpretatio mira

- Medicus psychiater: "Affecta es profecto rarissima perfectissima, absolute classica paranaoia!"
- Aegrotatum: "Veni ad Tete, inquit, ut a Tete curer, non autem, ut a Tete admiratione afficiar!"

AMICUS

\* \* \* \* \*

## Radiophonum Erivanense respondet

- Q.: Potestne hodie iam dici, quae membra contenturum sit Concilium Summum Sovietivum(1) anno MM p.Chr.n. electum?
- R.: Non potest. Hoc factum inquirentes accepimus proxima hebdomade folia huius electionis eventum continentia esse raptata.

\* \* \* \* \*

- Q.: Estne definitio vere marxistica-leninistica currus cataphracti(2)?
- R.: Est. Currus cataphractus est vehiculum bene aptum ad excursiones in terras alienas amicas faciendas, quod et sclopetando(3) salutare potest.

\* \* \* \* \*

- Q.: Adam Evaque primi homines socialistici fuisse traduntur. Verum necne?
- R.: Verum. Adam Evaque parce vestiebantur, exiguis modo ciborum copiis egebant neque ipsorum domum possidebant. Attamen se paradisu incolere aestimabant.

\* \* \* \* \*

- Q.: Ubi primae electiones socialisticae fuerunt?
- R.: In paradiso. Deus Adami Evam dedit verbis his: "Ecce, elige mulierem ex praesentibus!"

\* \* \* \* \*

- |                                   |                  |
|-----------------------------------|------------------|
| (1) Concilium Summum Sovieticum   | Oberster Sowjet  |
| (2) currus cataphractus, - us, -i | Panzer           |
| (3) sclopetare                    | schliessen       |
| sclopetando salutare              | Salut schliessen |
| Q.: Quaestio                      |                  |
| R.: Responsum                     |                  |

Martinus Meier

# Polyhymniam salutatum venimus. . .

Heus, heus, amici, iam tempus est, ut in viam nos demus! Hodie a Polyhymnia Musa tecto ac domo recipiemur. Mediolani enim saltabitur. Nos quidem saltatum non ibimus. Spectaculum pantomimorum in locis nomine Sancti Siri (San Siro) ante Mediolani portas sitis percipiemus. Modo ne tardius illo veniamus, quam decet. Inspicite horologium, gnomon iam attigit horam septimam!

Litoribus Verbanni lacus discedentes curru automobilio rectā Mediolanum petimus. Ecce loca illa ludis gymniciis praeclara! Hic est natus alter campus Martius. Hic homines omni modo corpora exercere solent. Follem aut pedibus aut pugnis mittunt. Pugilantur, exercentur pilā more Britannorum, birota vehuntur....

Hodie autem Polyhymnia de athleticis triumphum aget. Societas Russa artis saltatoriae exercendae, Beriozka nomine, spectatoribus saltationes gentis huius proprias praebabit.

Qua de societate optima fama est. Nos quoque suspensis animis spectaculum exspectamus. Permulti homines illo loco sunt, ubi tesseræ veneunt. Nos quidem beatos nos dicimus. In Helvetia tesseras emere potuimus. Spectaculo in aedibus secundum horum temporum mores constructis locus datur. Pro Iuppiter! Russi sane sumptibus non parcunt. Pantomimi pantomimaeque, aetate florentes, saltationes choreasque pulcherrimas dant. Saltant atque cantant more Cosacorum, more Russiae septentrionalis, more Siberiano... Variatio semper delectat. Pantomimi iuventute ac viribus rem gerentes merito acrobatae dici possunt et virgines lepidissime saltant. Nihil supra! Plausum damus semel atque iterum. Non solum ex arte saltandi, sed etiam e vestitū pulchritudine incredibilem voluptatem capimus.

Inter saltationes Siberianas "venatio ursi" nobis maximam admirationem movet. Pantomimi venabulis armati ursum vera pelle ursina tectum agitant. Ursus autem venatorem optimum se praebet. Modo venatores agitat calcem iis impingens, modo impetum eorum repellit, modo pro mortuo tollitur. Ei sane immaniter

bene est. Venatores in fugam dat et, viris fugatis, voluntatem puellarum sibi conciliat. Urso iure maxime plaudimus.

Tum virgines solae in scaenam prodeunt partes florum agentes. Oculos pascimus campo variis floribus consito. Convenientia consensusque colorum motuumque omnium iudicio probantur. Qui nitor, quae gratia! Et cantūs ad aures nostras suaviter accidunt. Saepe modos scimus, verba autem nescimus.

Horae praetereunt. Spectaculum prospere succedit. Ultimo pantomimo more Cosacorum incredibili celeritate peracto animi spectatorum maxime excitantur. Par praemium labori! Pantomimi pantomimaeque maximis laudibus efferuntur.

Nocte appetente iterum in viam nos damus. Viā expeditā litora Verbanni lacūs expetimus. Caelum hibernum mirum in modum serenum est. Perbelle valemus. Species spectacula etiam nunc in oculis nobis versantur. Meritam debitamque gratiam Polyhymniae Musae referimus.

Barbara Maier

## Aenigma

1. noctu in caelo apparet
2. aqua affectam
3. filia
4. amore captus es

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann



1	2	3	4
2			
3			
4			



S O L V T I O N E S

*Litterae ad legentes*

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:


Pat Peuschel  
Unt. Frohbergstr. 3  
8542 Wiesendangen

secundum praemium:

Markus Reber  
Bergstrasse 10  
4500 Solothurn

tertium praemium:

Florindo di Monaco  
Via Michele Monaco 152  
I-81054 San Prisco



His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Seminarium Latinum

Cuicumque cordi est Latinitas viva, id est lingua Latina hodiernis temporibus adaptata, et quisquis discere cupit vere et currenter Latine loqui, is invitatur in seminarium Latinum, quod erit mense Augusto huius anni Selestadii (Sélestat/Schlettstadt) in Alsatia (Elsass).


Hoc seminarium Selestadiense inter diem primum et sextum mensis Augusti susceptum moderabit Pater Caelestis Eichenseer, professor Saravipontanus (aus Saarbrücken) et editor VOCIS LATINAE, vir Latine loquendi toto in orbe terrarum longe peritissimus.

Si plus de eo seminario accipere velitis, vertite vos aut ad

Prof.P.C. Eichenseer  
VOX LATINA  
Universität FB 6.3  
D-6600 Saarbrücken

aut ad

Martin Meier  
Nassegasse 14  
CH-3302 Moosseedorf



## Nuntius ad legentes ubique terrarum habitantes

Felicissime accipiam inscriptiones cursuales quam maximas Rumorem Varium legentium Latinitatisque cultorum, qui extra Europam vivunt. Optatissimum enim est mihi scribendi commercium habere et pergere Latino sermone et temporibus nostris cum incolis remotissimorum locorum.

Omnes, qui hunc nuntium legunt idemque desiderium habent, rogo ut mihi respondeant litteris.

Inscriptio cursualis mea est haec:

Prof. Florindo di Monaco

Via Michele Monaco 152

I-81054 San Prisco

## Facete lepideque dicta

### Consilium bonum et laudabile

Medicus psychiater aegroti: "Praecipue, inquit, ante omnia, noli, Tibi licitum concessumque est, stomachari aut indignari. Abice omnia, quibus gravius commoveris, simpliciter ex fenestra!"

Tum aegrotus: "Gratias Tibi ago maximas, medice mi, id reapse lubenter faciam, praecipuerationem (Rechnung) Tuam, quando veniet!"

\* \* \* \* \*

### Res quam difficillima

"Aegrotus ille" medicus psychiater dicit assistenti medico "se immortalem esse arbitratur. Nostrum nunc est (officium), ei persuadere de contrario!"

## Collectio mira

Aegrotus: "Medice mi, inquit, familia mea gravius commovetur, quoniam omnem pecuniam meam erogo expendoque pro discis radiophonicis!"

Medicus psychiater: "Id flocci, id ne frit quidem facias neque de illa re labores, novi iam multos cultores seu amantes rerum musicarum, qui sescentos discos radiophonicos possident!"

Aegrotus: "Potest fieri, sed quod ad memet attinet, amans rerum musicarum omnino non sum, egometipse solum foramina parvula illa in medio discorum colligo!"

\* \* \* \* \*

### Sigarum desideratum

Mercator sigarorum: "Illud profecto, inquit, est sane admodum bonum sigarum, spectatissime vir, quod enim offerre possis unicuique homini!" Tum emptor: "Potest fieri", respondet, "sed mallem emere sigarum, quod egometipse possim fumare!"

\* \* \* \* \*

### Fallacia

"Specta ad illum virum, qui per infinitas horas iam quaerit dupondium!" - "Quomodo autem scis eum accurate dupondium quaerere?" - "Sum enim egometipse, qui intercepti illum!"

\* \* \* \* \*

### Mortui aegrotari nequeunt

"In Actis Diurnis nuperrime legi domitores ferarum (bestiarum) aetate progredescente rarissime rheumatismo affectos esse." - "Potest fieri, sane, nam rarissime ad aetatem progredientem perveniunt!"

\* \* \* \* \*

AMICUS

## *His autem nostris diebus.....*

Commentarii rerum his nostris temporibus ubivis terrarum gentiumque gestarum.

### INFANS CASU EX ALTITUDINE XV METRORUM INCOLUMIS PERFUNCTUS

(Procuratio Rerum Diurnarum Germanica = Deutsche Presseagentur)

Constantiae ad Lacum Brigantinum (Konstanz am Bodensee) Casu ex altitudine quindecim metrorum infans XVIII menses natus incolumis est perfunctus. Ut aediles sive custodes publici nuntiaverunt, pupillus (pusio) in habitatione parent(i)um enitus erat in altum ad fenestram, ubi aequilibritatem perdidit et ex fenestra aperta praeceps in profundum cecidit. Bene accidit, ut pusio ex contignatione tertia cadens primum in tabernaculum seu tentorium dispansum tabernae deversoriae seu cauponae leviter delapsus sit, antequam in viam silice stratam cecidit. Pusio e casu illo fatali Deo iuvante et protegente - extra laesiones memoratu omnino non dignas! - incolumis evasit, sed mater eius animi defectione subita est adfecta.

(Cfr. MAIN-POST, Heimatzeitung für Unterfranken, i.e. CURSUS PUBLICUS MOENIANUS, Acta Diurna Patria pro Franconia Inferiore, Tomus XXXVIII, nr. LI, de die Mercurii (quarta feria), III<sup>o</sup> mensis Martii anno MCMLXXXII<sup>o</sup>.)

AMICUS



## *Cantemus, o amici!*

Sur le pont d' Avignon...

(Chant populaire français)

Sur le pont d' Avignon

On y danse, on y danse,

Sur le pont d' Avignon

On y danse dans le rond.

Avennico in ponte hic...

(Cantus popularis Francogallicus, Versio Latina: AMICUS)

Avennico in ponte hic

Ibi saltant, ibi saltant,

Avennico in ponte hic

In rotundum saltant, sic.

Danser dans le rond = in rotundum (gyrum) saltare.

Genovevae Francogallicae spectatissimae dat,  
donat, dedicat:

AMICUS



TRAGOEDIA

BENITI MUSSOLINI

Scriptis : Plinius Prioreschi  
In Latinum converterunt: Ernestus Brehm  
Thomas Coffea  
Plinius Prioreschi  
Copyright by P. Prioreschi 1978

Actus II

Scaena III Aula vacua ubi Concilium Magnum Fascisimi conveniet. Senatores (circa XV-XXV) induti erunt civilibus vestimentis. Paulo post Arlequinus intrat.

Arlequinus: (Post piroettam ad spectatores loquens.) Ave! Ave! Nunc demum finem Ducis appropinquamus. Magnum Concilium contra eum censuram feret - quam mirabile! (Ridet.) Deinde deprehendetur ab Rege amicissimo suo - etiam mirabile! (Ridet.) Et in carcerem conicietur. Nova gubernatio Italiae, expectans hostes victuros esse, gloriosa repentina conversio, bellum contra sociam Germaniam indicet ut Italia cum victoribus ad tabulam pacis considet. (Longe ridet.) Mirabile! Mirabile quanta facilitate emergere ex gravissimis difficultatibus paula subtilitate quisquis possit! Caput est non nimis in serium se tenere. Napoleo, Caesar, Hannibal nullum sensum leporis(1) habuerunt, qua de causa eis male evenit. (Pausa) Faciem eius videre volo cum intellet omnia circum se dissolvi, liquefieri ut nix in sole, et se ipsum in carcerem iturum esse. Stultus! Voluit gloriam Romae restituere. Habuimus alium ei similem, fortasse audivisti de eo, appellabatur Cola Rienzi. Hic locus tam plenus est historiae ut omnia genera personarum inveniri possint. Cola Rienzi, ut Dux, est unus ex

eis quos "resuscitatores" appello. Voluit resuscitare gloriam Romae, ut si mortui resuscitari possent. Vultisne cum eo congregari? Cum eo loquamur dum initium conventus Magni Concilii expectamus. Delectemur! Utar mea...hem...arte magica ad spiritum eius huc convocandum. (Tussit, nonnullas piroettas et nonnullos gestus facit ut si ritum magicum perficeret, aliqua verba ut abracadabra muttit, et murmura insolita emittit. Paulo post homo mediaevalibus vestimentis indutus in aulam intrat.)

Arlequinus: Ave! Honor ultimo tribuno Romano! Meministine mei?

Cola : (Quasi stupefactus consistit, spectat Arlequinum et post pausam parvam.) Tu iterum! Quid vis?

Arlequinus: Te iam diu non vidi et volui tecum loqui.

Cola : Nolo! Sine me ire!

Arlequinus: Quaeso, temporum praeteritorum gratia! Habeo solum quaestionem unam: cur id fecisti? Curiosus sum. Cur? Voluistine Caesar, seu fortasse Augustus aut Caligula, Nero, Vespasianus, esse? Quis? Voluistine magnus esse? Dic mihi, cur voluisti restituere gloriam Romae?

Cola : Cur mihi necesse est tibi dicere?

Arlequinus: (Solemniter ac mordaciter.) Quia historiam semper necesse est scire.

Cola : (Post pausam) Roma gloria mundi erat. Roma sola nobilis et civilis erat in orbe. Roma erat mundus. Tanta gloria perdi non poterat. Aiunt cupiditatem honorum animam meam rosisse. Cupiditas honorum! Ut si magnanimitatis desiderium supervacuum ac inutile esset! Ut si cupiditas honorum frenum, non incitamentum necessarium homini esset. Magnanimum somnium sicut marcidus follis conlaberetur nisi igne ambitionis sublevaretur. Meta mea renovatio gloriae Romae erat. Somnium meum erat. Volui Urbem Aeternam a luto et limo sublevare. Dicunt divitias et

cupiditatem potestatis me caecavisse..vitium meum fuit...peccatum meum...sed metam somniumque meum non foedavit...reges mundi legatos miserunt. Rursus legatos Romam miserunt. Ad breve tempus Roma Caesarum denuo caput mundi fuit. Denuo, post mille annos, viae Appiae lapides viderunt legatos ex terris longinquis Romam in reverentia venientes. Illi non aurum argentumque nec gemmas et sericum portabant, sed quaestiones. Responsa sapientiae Romae petebant. (Pausa) Romani tamen non aderant. Discesserant. Solum larvas suas reliquerant... umbras...Romani mei solum larvae suorum maiorum erant...(Caput demittit. Pausa.)

Arliquinus: Bene, bene. Gloria Romano tribuno. Gratias tibi ago...vale!

(Cola lente exit.)

Arliquinus: (Spectatoribus.) Audivistisne eum? Tantum hi omnes speciem nobilium virorum gerunt! Me levitatis eorum animorum piget. Cognovi quid diceret sed vos eum audire volui. Hi omnes tantum sese in serium tenent! Nec mirum eum lynciatum (2) esse. Nunc finem Beniti Mussolini, alterius resuscitatoris, videamus.

(Arlequinus post aliquam supelectilem evanescit. Post brevem pausam senatores Magni Concilii Fascismi intrant et tacite in suis stationibus considunt. Paulo post Mussolini intrat. Surgunt omnes quoad Mussolini considit.)

Mussolini: Contubernales, hunc conventum Magni Concilii Fascismi apertum declaro. Vobiscum disserere volo de statu rerum atque de facultatibus in arbitrio nostro ad fortunam belli mutandam. Documenta vobis missa novissimos nuntios de statu rerum in variis frontibus continent. Etiam relationem recepistis de progressionem conatum nostrorum ad terriloquelam (3) eradicandam, atque relationem de comteatu et

mercimoniis in mensibus sex insequentibus. (Pausa) Profecto nostri Germanique multas clades acceperunt, et bellum in summo discrimine est. Dissensio et terriloquela(3) comites cladis, in re publica progressae sunt. Fortasse disserere de hoc velitis antequam de facultatibus nostris et de eo quod facere velim disseram. Disceptatio aperta est.

(Pausa longa. Senator Concilii manum levat.)

Mussolini : Dic.

Senator : Potestne fieri ut Italia et Germania cum Britannia et Statibus Unitis pacem separatam componant, ut omnes copias nostras in Russiam conligant?

Mussolini : Non potest.

(Ciano manum levat.)

Mussolini : Dic.

Ciano : Patriae nostrae pars invaditur. Hostes in omnibus frontibus progrediuntur. Ut videtur, nostri efficaciter resistere non possunt. Armorum instrumentorumque egemus et Germani, ut videtur, haec nobis suppeditare aut non possunt aut nolunt. Animus nostrorum afflictus est atque in civitatibus inopia frumenti furit. In ancipiti status rerum est. Res novae fortasse necessariae....

Senator : Fidem nostram erga Ducem confirmemus!

Alius Sen.: Immo res novae necessariae sunt!

Alius Sen.: Condiciones pacis inveniamus....

Alius Sen.: Si Germani adjuvare nolunt, cur bellum continuare debemus?

Mussolini : (Manum levat, silentium sequitur.) Pax non obtinenda nisi nos sine pactione tradimus. Hostes saepe hoc confirmaverunt. Pax separata a Germanis ut proditio aestimaretur atque dedecus Italiae esset. (Ciano manum levat.)

Mussolini : Dic.

Ciano : Si pacem conciliare non possumus, profecto duae solae optiones supersunt: victoria aut deditio. Certe, Dux, consilia ad cursum belli convertendum habes. Certe omnia perdita non sunt atque victoria etiam nunc possibilis. Tamen, in hac disputatione, ut gubernatio reipublicae sumus..

Mussolini : (Interrumpens) Hoc corpus consultorium neque vero gubernatorium est!

Ciano : Certe. Dico forum supremum ad tales res tractandas. Puto seriam disputationem de statu rerum exigere nos omnes optiones considerare. Si clades nostra inevitabilis sit, quid faciamus?

Mussolini : Sane, talem optionem, consideremus. Si hodie cladem esse certam disceremus, quid faceremus? Utrum nos traderemus sine ulla pactione ad servandum servanda, an usque ad acerbum finem pugnaremus? Utrum eligeremus iter prudentis an fanaticam pugnam eius qui ad moriendum paratus se tradere nescit? Confido vos omnes putare fanaticum ardorem non idoneum rebus publicis atque salutem populi unicam metam gubernationis. Concorde. Salus patriae ante omnia. Sed hoc est problema: quae optio magis proderit patriae? Deditio, ut servetur, quod servari potest? Iter moderationis? Iter prudentiae?...Vere hoc est quod Italia per quindecim saecula fecit. O! Per illud tempus sapientissimi, prudentissimi fuimus! Usi sumus omnibus dolis quos astuta mens nostra machinari potuit. Saepenumero perdidimus, sed semper conati sumus convertere, mutare, invertere, circumagere, nos tradere et, ante omnia, servare quod servari potuit. Ita orta est Italia quam nos Fascisti invenimus cum imperium assumpsimus. Parvam callidam Italiam doli levantini, astutae proditionis, parvam callidam Italiam quae perdiderat, post saecula negotiationum subdolarum, honorem et dignitatem. (Pausa.) Non

puto novum iter moderationis et prudentiae patriam nostram iuvaturum. (Pausa longa.)

Senator : Vivat Dux! Vivat Italia!  
(pausa brevior.)

Ciano : Facile...facile est aliquando mortem ac miseriam milionum leviter iubere propter quaedam principia, praecipue si nobilia existimata. Socii nostri Iudaeos necant et nos, huic facinori non adversantes, complices sumus. Nunc ruinam Italiae et mortem innumerabilium Italorum contemulamur. Fortasse morari atque conditionem nostram iterum aestimare debemus. Fortasse considerare debemus si novum consilium aut nova philosophia nationem nostram gubernare non debeat. Fortasse contemplari debemus si in vertice stultitiae simus, qui incipiens cum adlectantibus sententiis ut "Melius est diem unum sicut leo quam annos centum sicut ovis vivere!" finem in horrore mortis ac in incubo ruinae habeat.

Senator : Verum! Pax nobis necessaria!

Alius Sen.: Vivat Ciano!

Alius Sen.: Vivat Dux!

Senatores : Dedecus! Pax! Perfidia! Proditio! Germani nos deseruerunt! Traditio! Deditio! Pax!

Mussolini : (Manum levat, silentium sequitur.) Aperte lepra terriloquelaie etiam nonnullos senatores Magni Concilii Fascismi infecit! Hostes novam victoriam consequuntur. (Pausa.) Volo vos monere futurum Italiae per generationes venturas in discrimine esse. Videntur aliqui inter vos suggerere me officium deponere...abdicare...hoc significaret finem Fascismi...tempore belli...sequelas immensas haberet.

Senator : Rogationem fero(4) ut imperium militare Regi detur atque ut Rex imperio constitutionali suo utatur ad novam gubernationem formandam.

Ciano : In rogationem dico(5).

Mussolini : Hoc concilium solum consultatorium est. Nullam potestatem habet! Rogatio inanis est! (Pausa.) Nihilominus rogationem ad punctum ferri(6) permittam. Videamus illos qui pro clade sunt! (Pausa.) Qui pro rogatione sunt manum levant! (Multi manum levant.) Qui contra sunt...(Pauci levant manum.) Plerique pro rogatione sunt. Rogatio perfert(7). (Pausa longa in silentio.)

SIPARIUM

- |                          |  |
|--------------------------|--|
| (1) sensum leporis       | sense of humor                                       |
| (2) lynciare             | per furorem plebis occidere                          |
| (3) terriloquela, -ae    | defeatism  |
| (4) rogationem ferre     | To submit a motion, to move.<br>einen Antrag stellen |
| (5) in rogationem dicere | To second a motion.<br>einer Motion beistimmen       |
| (6) ad punctum ferre     | To bring to a vote.                                  |
| (7) rogatio perfert      | The motion carries.<br>Der Antrag ist angenommen.    |



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

---

---

---

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad adressam infra  
stantem.  
(ich abonniere RVMOR VARIVS  
mit Rechnung an:)

---

---

---

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich



AZ

8050 Zürich

1+2 / 83

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 39